

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538919

LXXXVII. Dissertatio Medica, De Uteri Delapsu Suppressionis Urinae Et
Subsequutae Mortis Causa.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16590

L X X X V I I .

D I S S E R T A T I O

M E D I C A ,

D E

U T E R I D E L A P S U , S U P P R E S S I O N I S

U R I N Æ E T S U B S E Q U U T Æ M O R T I S C A U S A .

Quam Præside

J O H . A D A M . K U L M O .

Tuebatur

J O H . E I L H A R D . R E I N I C K .

Gedani 24 Aprilis anno 1732.

Tom. I I I .

E e e e



D I S S E R T A T I O

M E D I C A E

D E

U T R I O R I S A M P H I T H E S I S

A U G U S T I N I M O T T I S

Q U A E

J O H A N N E A D A M F U L M O

J O H A N N E S B E R N H A R D T

1773

1773

1773



C A P U T I.

Sifens Casum.

§. I.

Femina quædam 26 annorum, militis gregarii uxor, præterito anno per 4 menses gravida die 28. Augusti onus tergo impositum gerens, pede ex improvise vacillante, alterius cruris difficili renisu vix gressum a lapsu sustinuit: domum deinde reversa statim conquererebatur de dolore insigni circa lumbos & in regione pubis, & cum postea urinam excernere tentaret, nihil prorsus effluere observabatur. Maritus æque ac uxor hac de re insolita attoniti, medici alicujus auxilium implorarunt, qui interne varia diuretica propinavit, externe vero apium cum lacte coctum identidem pubi calide apponere jussit, at frustra penitus cum successu: quippe per 12. dies ne gutta quidem lotii fuit excreta, etiamsi fortissimi urinæ expellendæ conatus, frequenter insistentes & diureticorum virtute procul dubio insigniter aucti, maximo nisu vesicam premerent, adeo, ut atrocissimis ægra doloribus afficeretur, & venter nimium in modum extenderetur. Misera ergo hæc gravida die 8. Sept. sub intensissimis cruciatibus fatis cedere coacta fuit.

Historia morbi.

§. I I.

Post ejus mortem maritus lubenter certior fieri cupiebat, an uxor sua demortua certo gravida fuisset, & quænam esset tam subitanæ extensionis abdominis causa? Quapropter quandam ad nos mittebat feminam, quæ, circumstantias morbi prædictas nobis referens, quam sollicitè expetebat, ut vel aliquem chirurgum ipsi commendarem, qui desideratam cadaveris sectionem, marito egeno, gratis institueret.

Sectionis causa.

§. I I I.

Statu isto defunctæ gravidæ raro obveniente commoti, flagrabamus ipsi met desiderio fetus & uteri circumstantias sollicitius explorandi. Idcirco una cum quibusdam chirurgis & medicinæ studiosis ad ædes defunctæ accessimus. Monstrabatur mortuæ corpus, cujus tumor abdominis 12. dierum intervallo adeo alte excreverat, ut statum graviditatis maturum, partuique proximum ad amissim mentiretur. Dubii certe quodammodo hærebamus, num vesica urinaria in tantam molem absque disrptionis metu distendi queat: fetus enim quatuor, ut maritus perhibebat, mensium vix quartam tantæ extensionis partem efficere potuisset. Immittebatur propterea stylus per

Constitutio externi corporis.

E e e 2 mea.



meatum urinarium in vesicam, qui, pedis fere longitudinis, totus intrusus fundum vesicæ nequaquam attingebat: urina autem, via sic parum dilata, exitum magno conatu moliebatur, verum subito extrahebatur stylus, quia ejus copiam mensura æstimare cupiebamus, Hac vero occasione, qua meatus urinarius quærebatur, simul in conspectum veniebat protuberantia quædam carnea, ex vagina uteri magnitudinis ovi columbini propendens, cum quibusdam hydatidibus, pisâ mole æmulantibus.

§. I V.

Internarum partium status præternaturalis.

Postea nos accingebamus ad investiganda interiora abdominis, quo aperto, manifesto apparebat, vesicam urinariam omnino in tantam molem fuisse extensam: occupabat namque insignis hæc vesicæ sarcina excitalis utramque regionem hypogastricam atque umbilicalem, quadantenus sursum adhuc in regionem epigastricam ad 2. pollices protensa, quæ ambitu hoc inaudito cuncta intestina tenuia penitus extra situm naturalem altius sub diaphragma validissime adegerat. Longitudo autem vesicæ ad duos pedes se extendebat, & latitudo unum superabat pedem in diametro; cavitatis vero ejus continebat lotii mensuras 5. nostræ civitati usitatas, sive 20. libras. Protraxerat simul iste insolitus vesicæ adscensus peritonæum usque ad regionem umbilicalem, sic ab hoc loco usque ad os pubis vesica ubique musculis abdominalibus cohærebat, sola membrana cellulosa intermedia. Mirum quoque videbatur, quod vesicæ substantia, insigni hac distensione dilatata, solito tamen non tenuior, sed plus duplici dimensione crassior atque ex validis fibris carnosis contexta observaretur, id procul dubio copiosa vasa sanguifera, ad digiti crassitiem supra vesicam reptantia, abundante sua nutritione produxerunt. De quo postmodum agemus in §. 12.

§. V.

Causa distensorum ureterum, & pelvium renum.

Prædicta urinæ suppressio pariter causa fuit primaria miræ extensionis utriusque ureteris atque pelvis renum, quorum cavitates omnes insigniter erant dilatatae, præsertim pelvis renis dextri, cujus amplitudo extraordinaria pugnam facile capere potuisset: ureter, ab hoc pelvi ad vesicam protensus, altero etiam paulo largior observabatur, nec quidem ubique ejusdem dimensionis, quibusdam tamen in locis ad pollicis diametrum accedens.

§. V I.

Uteri situs præternaturalis & conditio.

Turgida adhuc vesica urinaria, tamque largo ambitu abdomini accreta (§. 4.) penitus occultabat uterum, ejusque impediabat investigationem; propterea illa prius evacuari debuit, qua postea collapsa, is tandem in conspectum veniebat, attamen eum, iusto profundius locatum, totum videre non

non potuimus: hærebat enim tertia fere uteri pars in ejus vagina arcte infixa, ita, ut superius vagina corrugata vel potius inversa existeret: totus deinde uterus, lente protractus, se triplo circiter majorem, quam in statu ordinario, adeoque omnino imprægnatum exhibebat. Pars ista uteri inferior procul dubio ab ingressu vacillante justo profundius infra pelvim delapsa, atque in vaginam corrugatam intrusa, firmiter apprimebat collum vesicæ, hujusque orificium & annexam urethram ad os pubis, qua compressione excretio urinæ naturalis penitus præcludebatur, ita ut neque excernendi, auctique lotii vis & conatus proprius, nec adhibitorum diureticorum potentia renitenti infarctui prævalere potuerint.

§ VII.

Uterus tandem, ex ergastulo suo liberatus & retractus, ea parte, qua complicatus vaginæ inhæserat, flaccidus, aquis in amnio contentis, proli-^{Fetuum & secundinarum con-} que innatanti, illuc irruentibus, locum concedebat. Cum itaque pristinum^{situtio.} sium proles haud amplius retineret, consultius duximus, ipsum uterum cum annexis partibus, annexaque vesica urinaria a corpore separare, ut secundinarum adhæsiō cum utero, membranarumque & fetus conditio omnium adstantium oculis eo magis paterent. Utero propterea exempto, & in anteriori parte decussatim aperto, placentam ita dictam, ope digiti ab uteri lateribus caute separatam, non solum illius fundo, sed quaquaversum universæ uteri internæ cavitati adherentem conspeximus, excepta exigua parte prope orificium uteri, quæ foramen pollicis diametri relinquebat, per quod membranæ liquore suo refertæ prominebant. Extractis postea ex utero univērsis secundinis una cum prole obvoluta, placentam undiquaque unitam & simplicem sursum dividere juvabat, quo factō duplices membranæ aquis turgidæ exiguis fibris leniter sibi cohærentes, iisque separatim contenti fetus gemelli, nobilioris sexus, quoad singulos artus perfecti, ast vita jam privati, in apricum prodibant.

CAPUT II.

Exponens uberius circumstantias, in hoc casu occurrentes.

§. VIII.

ANte omnia uberiolem profecto considerationem meretur stupenda vesicæ urinariæ distensio (§. §. 1. 3. & 4. descripta), præsertim cum hujus vesicæ tunicæ non tenuiores, sed potius plus duplici crassitie validiores existerent (§. 4.). Secundum ordinarias naturæ leges semper partes corporis membranosæ eo magis attenuari solent, quo majorem in molem

E e e e 3

De ordinaria partium membranosa- rum distensione. disten-



distenduntur. Vidimus aliquoties alias vesicas urinarias, à magna lotii quantitate justo diutius retenta expansas, quæ vix dimidiam crassitiem ordinariam servarunt, quarum aliquam, 4. libras urinæ capientem, præterito anno mense Martio in nosocomio cum auditoribus, tum temporis præsentibus, in corpore virili lustravimus. Sic ibidem alio tempore in alio corpore ventriculus insigniter dilatatus obveniebat, ad papyraceam, ut ita dicam, tenuitatem accedens, qui postea flatu oris vix penitus distensus, ex improvise magno cum fragore dehiscibat.

§. I X.

Unde vesicæ distensæ crassities derivanda. Nostræ vero vesicæ distensæ crassitiem (§. 4.) contra ordinarias naturæ leges (§. præced.) auctam, vix aliunde, quam à majori affluxu sanguinis in statu gravido versus uterum derivandam judicamus. Siquidem post peractam conceptionem in gravidis arteriæ spermaticæ majorem identidem nutritionis copiam, ad alendam prolem, advehunt, quæ cuncta vasa sanguifera circa uterum, partesque vicinas eo magis distendantur, quo majora embryo capit incrementa. Hinc tantum abest, ut gravidarum uterus, in insignem molem expansus, tenuior fiat, ut potius, simul cum fetu nutritus, majorem quadantenus crassitiem acquirat, quamquam ipsa substantia ob vasorum distensorum copiam spongiosior reddatur.

§. X.

Controversia, de uteri imprægnati crassitie. Diu quidem in partes reciprocas altercationis ferra inter anatomicos celeberrimos hactenus fuit agitata, utrum nimirum uterus gravidus ab hospite contento, ac quotidie augmentum capiente, dilatatus, auctiorem crassitiem; an potius arctiorem tenuitatem nanciscatur? Horum, qui sententiam, uterum gravidum attenuari, defendunt, antesignanus facile existit *Mauriceau* *Traité des maladies des femmes grosses* c. 4. de la matrice, sequentibus verbis pugnans: *Presque tous les fameux anatomistes, & une infinité d'autres Auteurs nous assurent, que la matrice (par un miracle de la nature, qui est admirable par dessus tous les Auteurs) devient d'autant plus épaisse qu'elle s'étend & se dilate, depuis le jour de la conception jusques au tems de l'accouchement: mais je n'étonne que du Laurens, Riolan, & Bartholin, ces précieux flambeaux de l'anatomie, ayent eux-mêmes eu si peu de lumière en cette occasion, que de n'avoir pas reconnu une si grande fausseté, qu'ils nous ont débitée à l'exemple de plusieurs autres, qui les ont précédés. Et porro: Tous ceux qui prendront la peine d'examiner la chose, comme j'ay fait, remarqueront aisément le contraire: car il est très certain, que plus la matrice se dilate dans la grossesse, plus elle devient mince & déliée.* Qui aliorum ibidem quoque sententiæ hujus patrocinium adducit. Contrarium assertum acerrime tuetur *Deventer* qui *nov. lun. art. objerr.* c. 8. cunctas rationes à *Mauriceau* allatas, æque ac analogias à
vesi-

vesica, vel ab animalium brutorum genitalibus desumptos, refutat, convictus frequenti experientia, qua nunquam, uti testatur, ipsi contrarium patuit. Huic sententiæ pariter jam olim multos veterum haud infimi subfellii viros addictos producit *Bartholinus anat. l. 1. c. 28.* & *Bohnius circul. anatom. physiolog. progymnasim. III.* quamquam posterior augmentum uteri crassescens non in ipsa tunicarum crassiori dimensione, sed in uteri circumferentia & amplitudine comparanda consistere existimet: hac ratione tandem subjungit, *illos, qui augmentum hoc uteri negarunt, sine autopsia soli rationi, à vesicæ (scilicet in statu ordinario) dilatatione petita, confisos fuisse, cujus major expansio majorem attenuationem comitem nanciscatur; aut uteros magis exsuccos & per hæmorrhagias exsiccatos tantum secuisse.*

§. X I.

Ratio igitur, quare uterus gravidarum tam quoad molem, quam quoad substantiam augeatur, est, quod gestationis tempore multo major sanguinis copia ad illum per innumera dilatata vasa advehatur (§. 9.). Quo majora namque fetus incrementa capit, eo majorem quoque alimenti requirit copiam; uterus autem a fetu contento distensus relaxatur & multo minori, quam antea, gaudet robore atque renifu, propterea copiosius affluentem sanguinem nutritium instar spongiæ facile imbibit, eoque turgidior factus necessario intumescit.

*De uteri
gravidæ
crassescen-
tis causa.*

§. X I I.

Properant autem ad uterum copiosi arteriarum rami, ab arteriis spermaticis, hypogastricis atque hæmorrhoidalibus illuc demandati, quorum furculi, in statu naturali exigui, postea graviditatis tempore mirum in modum aucti, multiplici ac tortuosa anastomosi sibi invicem junguntur. (Vid. *Regn. de Graaf de mulierum organis cap. XI. tab. XII. & XIII.* & *Swammerdam de uteri mulier. fabrica.*) Cuncta hæc vasa sanguifera, tum temporis insigniter expansa, copiosissimum sanguinem apportant, qui non solum ad fetus nutritionem, sed etiam ad uteri, aliarumque partium vicinarum augmentum sufficit: imo plerumque adeo abundat liquor iste alimentaris, ut in plurimis gravidis statum plethoricum, & inde oriundam passionem hysteri- cam, oppressiones, nauseas, varices, aliaque mala, sola venæ sectione tutissime mitiganda, inducat.

*De copios-
ori in gra-
vidis nu-
tritione
versus ute-
rum.*

§. X I I I.

Haud adeo difficulter jam explicare possumus phænomenon illud: cur nimirum vesica urinaria in puerpera nostra, à lotio cumulado insigniter dilatata, quoad substantiam non tenuior, sed multo crassior facta sit (§. 4.)? Cum enim tam abundans alimenti copia uterum, partesque vicinas alluat (§. præced.), ideo ad vesicam, utpote utero maxime vicinam, eique arcte

*Cur vesicæ
dilatata
crassior fa-
cta sit?*

con-



connexam, similiter justo uberior sanguinis quantitas accurrat, ejusque vasa pariter distendat: & cum præterea in nostro casu ipsa vesica ab urina, solito diutius retenta, non solum insigniter fuerit dilatata (§. 2.), sed etiam hac ratione ordinario suo robore, tono ac elatere orbata, aliter fieri haud potuit, quin vesica insigniter expansa, & sic admodum relaxata, majorem nutrimenti copiam ab arteriis vicinis, sanguine turgidissimis reciperet, eodemque modo, quo uterus gravidarum dilatatus & relaxatus (§. 11.), tunicas crassiores nancisceretur: quam nutritionem præternaturalem luculentissime indicant vasa sanguifera, supra eandem reptantia, & ad digiti crassitiam tumefacta deprehensa (§. 4.). Nec plane silentio prætereunda est illa circumstantia, qua vesica hæc, altius sursum ascendens, peritonæum secum extra situm naturaleq; protraxit, novamque cum musculis abdominalibus cohæsiorem effecit (§. cit.), qua occasione nova nutritio, novis his partibus connectentibus impensa, simul crassitie augmentum vesicæ vicinæ supeditavit.

§. XIV.

Cur idem augmentum crassitie non frequentius contingat?

Hoc modo facile explicabitur ea ratio, cur illæ vesicæ urinariæ, extra gravidum statum ab urina cumulata quandoque solito largius expansæ, non crassescant, sed potius attenuentur (§. 8.): nullum enim tunc suppetit nutrimentum, ad tale augmentum sufficiens. Neque in omnibus mulieribus gravidis semper intumescunt vesicarum tunicæ, licet ad eas major sanguinis copia deferatur (§. 11.): gaudent namque hæc vesicæ tum temporis robore ac elatere suo naturali, cujus potentia superfluum alimenti quantitatem affluentem facili negotio per venas patulas repellit.

§. XV.

Quare vesica tam insigniter dilatari potuerit?

Stupenda illa vesicæ urinariæ expansio, qua non solum universæ regiones, hypogastrica & umbilicalis, sed etiam inferior regionis epigastricæ pars occupabatur (§. 4.), absque disruptionis metu nequaquam fieri potuisset, nisi ejus substantia simul augmentata, indeque validior facta fuisset: quo enim magis ceteroquin partes membranosæ expanduntur, eo etiam magis earum robur & vis elastica debilitatur (§. 8.). Urinæ autem non solum in ipsa vesica cumulata, sed etiam in ureteribus, renibusque coacervata (§. 5.) potentia in nostro casu multo validior existit, quam vesicæ expansæ, & admodum debilitatæ, vis elastica. Secus enim tam ingens dilatatio nequaquam facta fuisset. Quodsi itaque tunicarum substantia à copioso nutrimento non fuisset aucta & roborata, omnino a fortiter urgente lotio sensim magis attenuari, citiusque diffringi debuisset, priusquam in tantam molem fuisset expansa.

§. XVI.

De insolita

Aliquam præterea considerationem meretur præternaturalis illa peritonæi pro-

tractio fursum usque ad regionem umbilicalem facta (§. 4.), qua illud, inferius per totam regionem hypogastricam a muscibus abdominis violenter avulsim, cavitate ventris multo brevior reddidit, hinc intestina, præfertim tenuia, sub diaphragma arctius fuerunt compressa. Latitat naturaliter vesica in infimo abdominis loco, qui pelvis dicitur, quem antè ossa pubis, utrinque ossa ilia & posterius os sacrum constituunt. Incumbit in feminis utero, in maribus intestino recto. Communiter quidem vesica intra duplicaturam peritonæi contineri dicitur; rectius tamen ejus fundus, eaque pars posterior, quæ cavitatem abdominis respicit, saltem obducitur peritonæo; collum autem & pars anterior jungitur ossi pubis mediante membrana quadam tenui, porosa, *cellulosa* dicta. Præterea in hominibus fortiter deorsum constringitur vesica a peritonæo, ita ut sæpissime ab imperitis frustra quærat, nisi lotio turgescat; decipiuntur hi ob analogiam, quam sibi ex situ vesicæ in animalibus brutis concipiunt, utpote in quibus plurima vesicæ pars in abdominis cavitate libere prominere, sola ejus cervice peritonæo annexa, hinc facillime in his conspicitur. Musculi propterea abdominis, ob validam vesicæ distensionem a peritonæo liberati, novam cum membrana cellulosa, pariter fursum solito altius propagata, subierunt cohaesionem. Cum vero hujus membranæ substantia admodum sit porosa, ideo vasis sanguine turgidis ubique liberam concessit viam, quæ eorum rami copiosissime quaquaversum, etiam supra vesicam distensam, dispergerentur, quibus mediantibus uberior vesicæ advecta fuit nutritio (§. 9. & 12.)

*peritonæi
connexio-
ne, ejusque
causa.*

§. XVII.

Egressus urinæ per viam ordinariam, ab utero, collum vesicæ obturante, interceptus, simul obicem posuit succedenti lotio a renibus affatim per ureteres transeundo: cum enim renes debito modo suo fungerentur officio, atque serosam hanc humiditatem indefinenter secernerent, fieri aliter haud potuit, quin non solum ipsa vesica, sed etiam ureteres & uterque renum pelvis adeo amplissime distenderentur (§. 5.). Et cum singulæ hæc cavitates membranis nervosis, iisque sensibilissimis gaudeant, igitur dolorem intensissimum, atrocissimumque miseram hanc muliereulam exortissima horum meatuum extensione perpeti debuisse quilibet facile concipiet; imprimis si simul secum perpendat illam vim potentissimam, quæ peritonæum ab ordinaria sua cohaesione violenter avellere (§. 4.) & alias quoque corporis partes, vesicæ annexas, distendere valuit: quales viscerum extensiones, distractiones, atque intestinorum anxia compressio profecto dolores gravissimos producere debuerunt.

*Causa dis-
tensionis
viarum
urinae.*

*Dolor ex
hac disten-
sione.*

§. XVIII.

Situs uteri in §. 6. descriptus plane fuit præternaturalis. Collocatur enim

Tom. III,

F f f f

enim

*De situ
uteri.*



enim uterus naturali modo in infimo abdominis loco, pelvi dicto, quem ossa ilia, ischia & pubis cum osse sacro efficiunt: superior uteri pars nullibi adhæret; inferior autem & imprimis ejus vagina jungitur antrosum vesicæ, retrorsum intestino recto & lateraliter utrinque ligamentis latis ac rotundis: lata uteri ligamenta, quæ etiam alæ vesperilionum vocantur, utrinque uterum cum ossibus ilei connectunt; rotunda vero transeunt per processus peritonæi, annulosque abdominis, & utrinque firmiter alligant uterum inguini. His mediantibus vinculis validis uterus in hac sede sua naturali firmiter detinetur, nec adeo facile sursum, nec deorsum, nisi à causa quadam violenta semoveri potest. Cum itaque in gravida nostra uterus justo profundius deorsum infra pelvim delapsus, & vagina inversa appaerint (§. cit.), necessario ligamenta uteri valida, nexusque cum intestino recto fuerunt relaxata: unde cognoscimus, gressum sub onere vacillantem intulisse utero vim fortissimam, qua ligamentorum attractio valida fuit superata.

§. XIX.

Controversia de uteri prolapsu.

Sunt quidem nonnulli viri, in re anatomica sagacissimi, qui uteri prolapsum in dubium vocare conantur, iis rationibus inducti, quoniam ope ligamentorum prædictorum (§. præced.) firmissime alligatur, & putant, relaxatam uteri vaginam, extra sinum pudoris prominentem, forte hæc ludibria facere & credulis imponere, ut verum uterum descendere posse sibi persuadeant. Eorum vero, qui verum uterum quandoque prolabi posse affirmant, idque ratione æque, ac experientia confirmare nituntur, tantus est numerus, ut si multitudo sententiæ patrocinium conferret, de hujus veritate nullo modo dubitari queat. Vid. *Stalpart van der Wiel. Cent. I. obs. 67. & 69.* qui integrum ibidem patronorum hujus prolapsus catalogum sistit. Unus omnium allegari sufficit, solertissimus corporis humani scrutator, *Fridericus Ruyfchius*, qui partim *Thef. Anat. VI. num. 63.* partim etiam *Obs. Anat. Chir. I. 7. 9. 24. 25.* veram uteri procidentiam, & quidem ingentis magnitudinis nobis exhibet: hic pariter *Obs. 10. & 16.* uterum nonnunquam post gravissimos parturientium conatus inverti ostendit. Minime quidem negamus, dari sæpe spuriam uteri procidentiam, dum uteri vagina frequenter, aut aliæ excrescentiæ præternaturales talem descensum mentiuntur. Exemplum refert *Kerkringius Obs. 53.* qui interfuit sectioni mulieris mortuæ, cujus uterum, extra pudenda prolapsum fuisse, medici antea asseverarunt, cum tamen uterus postea in sua sede naturali fuerit repertus, & sarcoma aliquod, eos decipiens, propenderit. Similem casum sistit *Bartholinus Cent. II. Hist. 58. & Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Ann. 2. Obs. 79.* Hinc valde decipiuntur illi, qui quodvis corpus extra vaginam prominens verum uterum esse sibi, aliisque persuadent; attamen hallucinantur quoque, qui genuinum uteri prolapsum impossibilem esse credunt, licet talis descensus rarius contingat.

§. XX.



Ex his prædictis autem facile intelligitur: *verum uteri prolapsum* esse præternaturalem uteri descensum per totam ejus vaginam; quo ille, sive rite constitutus, sive inversus, foras extra vulvam visibilis propendet, a quacumque etiam causa fuerit e sede sua semotus. Inversum potissimum producit violenta secundinarum extractio, quam obstetrices plerumque præter necessitatem nimis festinantes accelerant, dum adhuc firmiter placenta utero adhæret, falsæ opinioni & præjudicio tenacissime inhærentes, ac si uterus post fetus egressum se statim occluderet, cum tamen sæpe per aliquot hebdomadas orificium ejus se nondum penitus contrahat. Vid. *Celeb. Ruyschius* obs. anat. chir. 43. E contrario *uteri prolapsus spurius* est, non uteri, sed ejus vaginæ, insigni quadam vi corrugatæ & inversæ, aut alius tumoris propendentia. Experientia testatur, hos prolapsus tam verum, quam spurium, sæpissime in partu difficili ab imprudenti obstetricum tractatione originem ducere. *Uteri autem delapsum* (qualem in nostro casu observavimus) vocamus illum situm præternaturalem, quando verus quidem uterus e sede sua paulo profundius in vaginam descendit, ibidem tamen suspensus adhuc retinetur, ut extrorsum nondum propendeat.

Quid uteri prolapsus verus.

Quid uteri prolapsus spurius.

Quid uteri delapsus.

§. XXI.

Uterus in nostra defuncta e sede sua naturali infra pelvim descendens (§. 6.) in eam loci angustiam pervenit, ubi sub ossè pubis collum vesicæ & urethræ orificium collocantur: propterea insolitus ille uteri infarctus viam urinæ excernendæ præcludit (§. cit.), non nisi manuali uteri repositione liberandam, quæ, cum fuerit neglecta, aliis mediis impotentibus præpediri non potuit. Multum adeoque abfuit, ut medicamenta diuretica, licet fortissima, impedimentum hoc remove potuerint, ut potius perpetuo insistente urinam excernendi stimulo, uterus magis, magisque intruderetur. Præterea hic uteri delapsus simul vaginam, qua recipiebatur, deorsum depulit, ita, ut hæc corrugata & antrorsum extra vulvam quadantenus prolapsa conspiceretur (§. 3.).

Uteri delapsus novus.

§. XXII.

Cum itaque in nostra defuncta retentionis urinæ unica causa fuerit delapsus uteri, quo collum vesicæ, hujusque orificium & annexa urethra firmiter ad os pubis adprimebantur (§. 6.), quilibet profecto optime cognoscere valet medicamenta diuretica (licet potentissima fuissent adhibita) ne minimam quidem opem ferre, aut præclusam viam referare potuisse, imo auxisse dolores, sic frustra plane fuisse adplicata: siquidem intrusus in arctissimum locum uterus hac ratione nequaquam removeri potuit. Facili tamen negotio manualis operatio vel alicujus aniculæ repositionem uteri præstitisset,

Quenam medela seorsip debrisset.

stitisset, adeoque causam funestæ retentionis urinæ removisset, si saltem medicus ipsemet hanc genuinam suppressionis urinæ causam debite considerasset, aut intellexisset: ad minimum debuisset ille omnino catheteris adplicationem suadere, qua encheiresi urina effluxisset, atque ægrotæ dolores vel ad tempus cessassent. Patet adeoque luculentissime, quam sinistre illi medici, ad multorum hominum detrimentum praxin suam exerceant, qui chirurgiam negligunt: vid. *Schediasma nuperrime a nobis ventilatum de quibusdam præjudiciis medicis. Præjud. I.* Multi profecto miseri homines à morte præmatura liberarentur, si medici non, empiricorum more, suis remediis specificis nimium fiderent, sed majori conscientia, sana ratione & necessariis adminiculis morbis obvientibus recte invigilarent, & cuncta studia ad solidam medicinam necessaria rite perfecta haberent.

§. XXIII.

*De simplici
gemello-
rum pla-
centa ute-
rina.*

Tandem observatur plerumque, quod gemellorum placentæ, si penitiori indagacione anatomica rite explorantur, sint separatæ, quanquam sibi invicem arcte adhæreant, ut connecti videantur: nostrorum vero gemellorum placenta uterina, omni adhibito studio & exquisitissima solertia explorata, nullius unionis vestigium exhibuit, sed omnino quaquaversum continuo nexu jungebatur, ita ut dumtaxat simplex existeret (§. 7). Denique etiam hæc circumstantia plane singularis est, quod ingens ista placenta undiquaque universæ uteri cavitati internæ fuerit annexa (§. cit.), cum alias communiter solummodo uteri fundo aut rarius alterutri ejus lateri adhærescat. Rarissime evenit, ut ea ante uteri orificium sit collocata, quo situ præternaturali egressus fetui in partu præcluditur, ita, ut nequaquam (nisi prius placenta caute remota) infans in lucem edatur, adeoque sic partus difficillimus fiat: quam tamen manualis opitulatio cum sana ratione debite suscepta faciliorem atque feliciorum reddere valet. (Confer. *Commerc. litter. Norimb. Semestr. I. pag. 14.*) Unde ars obstetricandi, medicis & chirurgis æque, ac mulierculis obstetricibus necessaria, suam præstantiam magnopere commendat, & omnino expedit, ut, qui eam exercere cupiunt, anatomix necessario prius sint instructæ. Vid. hac de re *Schediasm. cit. Præjudic. III.*

F I N I S.

COROLLARIA.

- I. Verus datur uteri prolapsus.
- II. Remedia diuretica in spasmodica constrictione & in calculi affectu propinata, plus damni, quam emolumenti afferunt.
- III. Falluntur, qui se remediis internis calculum vesica conterere posse, aut unquam contrivisse putant.
- IV. Secundinarum extractio aliquo post partum tempore adhuc perfici potest.
- V. Plus valet potentia naturæ, quam vis medicamentorum.
- VI. Honori cedit medico, quod sit naturæ minister.

DISSER.



LXXXVIII.

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
DE
INCONTINENTIA URINÆ
EX PARTU, GLOBULIS LIGNEIS
CURANDA.

Quam Præside

SIM. PAULO HILSCHERO.

Tuebatur

JOH. DAN. MITTELHÆUSER

THUSDORFF. THURING.

Jenæ 4 Julii anno 1716.

Ffff 3

